



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,
Locis,|| Liber Vnvs.||**

Thyraeus, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1598

VD16 T 1247

Cap. XVII. Quinam præ cæteris Spirituum molestias patiantur, & quas ob causas?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

Quinam præ cæteris, Spirituum molestiis & insultibus expositi sint, & quibus de causis quosdam Spiritus, præsertim Diabolici, hostilius persequantur.

Quinam in locis per se infestis, insultus molestiasque sustineant, ex iam præcedenti capite dictis clarum est. Certum quoque est in iis locis, quæ propter homines infesta sunt, eos vel solos, vel sæpius, & grauius infestari, quos propter loca sunt infesta. Explicandum nunc est, *Qualesnam illi sint, propter quos loca hæc infesta reddantur, & spectris horrida: siue, vt clarius dicatur, Quosnam homines Spiritus singulariter persequantur & molestant.*

De duobus verò hominum generibus, bonis inquam, & malis quæstio est: & de vno Spirituum, qui molestias afferunt *Demonibus*. In reliquis res non magnam habet difficultatem. Quod igitur in disputationem vocatur, hoc est; *Verum quicumque persecutiones malignorum Spirituum sustinent; suis semper meritis exigentibus sustineant: an etiam aliqui præter vlla sua merita, has patiantur.*

Atque hoc definiendum nobis est præcedenti Capite. veruntamen non hoc solum: *speciatim etiam explicanda sunt crimina eorum, qui ob sua merita Dæmonum insultus, atque molestias sustinent: vt non solum sciatur, quosdam ob peccata, Dæmones molestantes sustinere; sed etiam, quænam illa peccata sint (neque enim vnum est peccatorum genus) ob quæ sustineant, intelligatur.*

De priori verò sic sentio: Non vnius generis hos esse; sed *tam malos, quam bonos, Spirituum insultus sustinere: hoc est; quosdam ob sua merita; quosdam absque vllis suis meritis; & priorum quosdam, ob graues excessus eosdem sustinere; alios ob leues defectus vt tria, in vniuersum loquendo, sint hominum genera, qui Dæmonum persecutiones sustineant.*

Quod enim de vniuerso persecutionum genere dicitur: id in molestantibus Spiritibus locum habet. Non omnes persecutiones ob peccata accidunt: nec omnes sequuntur viros innocentes. Quædam sunt, quæ peccatorum, nunc enormium, nunc leuiorum sunt vindictæ: quædam, vt innocentium patientiæ, atque probitas innotescat, afferantur. Eodem prorsus modo, quosdam idcirco

maligni Spiritus molestant; quod suis peccatis id meruerint; quosdam absque vlla sua culpa, magna tamen diuinæ prouidentiae dispositione.

6. In locis *per se* infestis, rem ita se habere, dubium non est. Ob graui delicta persecutionem à Spiritibus passi olim plures Gentiles. Ob defectus leues, si non omnes, certè plurimi in agro Bingenli Absq; vllò suo merito, Eremiti cultores. Quod si igitur in *per se* infestis locis, non vna molestadi ratio: quid mirū, si & in locis propter homines infestis, ob diuersas causas molestiæ adferantur diuersæ.

7. Quocirca prauum est, & peruersum eorum iudicium, qui mox criminis eos damnant, quos Dæmones persequuntur. Quemadmodum non omnes, qui à Spirituum infestationibus liberi sunt, integre sunt, & inculpatae vitæ; ita neq; omnes, qui ipsorum insultus sustinent, meritis suis ita exigentibus, illos sustinent.

8. Sed in re clara pluribus opus non est. *Crimina*, & quidem *maiora illa, quæ Spirituum hæc quasi carnificina vindicantur*, inquiramus. Illa, ni fallor, *duplicis sunt generis*. Quædam sunt, quibus apertius Christianæ Charitatis iura violantur. Quædam quibus Deo grauior ignominia irrogatur. In priorigenere sunt iniustæ cædes, pauperū oppressio, atque in parentes impietas. In posteriori blasphemia violata religio, hæresis et traditio sui ipsius Dæmonibus facta.

9. Non negauerim *alias* ob culpas, alios sustinere persequentes Dæmones: sed tamen hæc crediderim esse præcipuas; quæ vel his molestiis vindicentur; vel vt vindicentur, magis mereantur. Ostendamus in singulis generibus, quod asserimus.

10. *Cædes & neces iniuste allatae, his infestationibus vindicate sunt*, in Nerone, Pausania, atque Ottone Imperatoribus, de quibus i. capite. His addimus hominem, quem se in vinculis vidisse scribit, lib. 2. cap. 3. de Dæmonomagia, Bodinus; qui, ira percitus, vxorem occiderat: & pòit, singulis noctibus, ab vxoris Spiritu se miserè cædi conquestus est. Addimus aliud Aristidemi, viri nobilis, familiae Aepiradarum, apud Messenios; qui cùm oraculo Delphici Dæmonis intellexisset diuturni belli, quod Messenij gerebant cum Lacedæmoniis, victoriam penes ipsos futuram, si puram Virginem deo immolarent; gratificaturus ille patrie; primùm vnicam quæ habuit filiam destinavit sacrificio; deinde vbi intellexisset corruptam à quodam, qui vt miseram conseruaret, à se grauidam fingebat, ex eandescens iracundia, interfectam filiam dissecuit. Huic enim post mortem scæda specie apparuit filia, adeoque perculsit, vt ad tumulum eiusdem sese miser iugularit. Casparus Beucerus lib. de Diuinat.

De pass.

De pauperum oppressoribus suppetunt plurima exempla dome- 12.
stica: sed quia odiosa, proferenda non sunt. Iustissimam verò hos,
cum homicidis, Dæmonum molestiam sustinere inde colligitur;
quòd vix alio, quàm homicidarum, loco Deus Opt. Max. ipsos
habeat. Ita sacra docet eloquia, Ecclesi. 34 panis egentium vit a paupe-
ris: qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem;
quasi qui occidit proximum suum.

Impetacem erga parentes gravissimum esse crimen, cum alia multa 13.
doceant; tum illud, quod ad honorem parentibus exhibendum
in signi præmio Deus nos inuitet. Et hanc igitur iustè, per infestâ-
tes Dæmones, vindicari credi debet. Est pro hoc insigne exemplū:
quod, quia ad longum, in illa de Dæmoniacis disputatione, ex
Alexandro allatum est Capite 30. hinc repetere superuacaneum est.

Blasphemos Spirituum insulibus iustè puniri, vel ipsi blasphemi, 14.
si non verbis confitentur, certè rebus ipsis probant. Quomodo ve-
rò? quia nullo loco sibi sunt tuti. Sicuti suam semper secum fe-
runt carnificinam, conscientia; ita ubiq; blasphemix ultores cre-
dunt adesse Spiritus. Sed nec hic desunt blasphemorum exempla,
quos in hac vita Spiritus sunt persecuti. Notum est, quod de blas-
phemo puero scribit B. Gregorius 4. Dialog cap 18. Verba eius es-
scribimus. *Quidam vir cunctis in hac vrbe (Roma) notissimus, ante trien-
nium, filium habuit, annorum, vt arbitror, quinq; quem nimis carnaliter
diligens, remissè nutriebat, atq; idem paruulus, quod dictu graue est, mox vt
eius animo aliquid obstitisset, maiestatem Dei blasphemare consueuerat:
qui in hac ante triennium mortalitate percussus venit ad mortem. Cum què
eum suus pater in sinu teneret, sicuti hi testati sunt, qui presentes fuerunt,
Malignos ad se spiritus venisse, tremantibus oculis puer aspiciens cepit lamma-
re: Obstapater oblapater Qui clamans declinavit faciè vt se ab ijs in sinu
patris abscederet. Què ùm ille tremantè requireret, quid videret: puer ad-
iunxit dicens: Mauri homines venerūt, qui me tollere volunt. Hac cū dixisset,
maiestatis nomen protinus blasphemauit, & animā reddidit. Ita B. Gre-
gorius. De alio blasphemo aliud pro præsentis argumento exem-
plū recenset alius Gregorius, Turonensis in quā li. de Gloria con-
fessorū, cap. 67. Ad Basilicam S. Lupi, inquit, Maurus cuiusdam seruus,
negligenti admissi: confugit frigidens verò Dominus eius de vestigio profectus, i-
gratus Basilicā, nec oratione prostratus, blasphemias in Sanctū euomere cepit, ac dicere. En-
tu Lepes: ruiā meā auferes, & propter te nō licebit mihi in eum vltionē debitā exercere. &
Et ini. Et amans forā trahere cepit dicens: Nō mittet hodi. hic lupus manū suā de se
pulchro, vt ruat te de manibus meis. Hac dicente misero, extēplo lingua, que in Sanctū
blasphemias effudit, diuinitus obligatur: atq; mutus homo, debachare cepit per totā
adē, dans mugitum vt pecus, sermonem vt homo non profrens: tertia deniq; cū
grā cruci. su vitā finiuit. Hoc Turonensis.*

Reli.

24. Religionem violari multis modis contingit. Sacramentorum profanatione; Templorum euerfione atq; spoliatione; Imaginum, statuarumq; & Ecclesiasticæ suppellectilis confracti one: Reliquiarum Sanctorum contemptu atque irrisione &c. Quibuscunque modis violetur dubium nullum est, *ipsius violatores iustissime posse pati Dæmones infestantes*: quando pluribus exemplis, tam recentibus quàm veteribus, clarum est; & olim passos esse Dæmoneum molestias; & nostris temporibus, in Galliæ atque inferioris Germaniæ tumultibus; pati quàm plurimos.

25. *Heresum sine prauorum dogmatum inuectores, atq; doctores sibi à Spirituum malignorum infestatione posse timere* docent, post alia, Lutheri, Zvinglii atque Carolstadii nota exempla. Lutherus ipse testis est Dæmonem à se visum; se salutasse; multis argumentis Missam oppugnasse; socium in comedendo fale fuisse. Zvinglius testatur, se suum, de Eucharistia, dogma à Spiritu (haud dubium) nigro accepisse. Carolstadium à Dæmone fuisse interfectum. haud obscure docent Basilienses. Vide Caput 12. de Dæmoniis.

26. Quod qui Spiritibus malignis se tradunt, à malignis Spiritibus molestentur, mirum non est. Mirum verò valde, si quandoq; nullas molestias sustineant. An fortè Nequam Spiritus ignorare possunt, quod ipsis miseri mortales sese dedunt? an acceptare volunt se vitro offerentes? Vbiq; præsentis sunt nobis, &c. censores, etiam non vocati. Si tamen nomē suum audiant, (probat exemplo B. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 20.) mox aduolant, obsequiaq; sua præstant. Sed & studiosè ipsos quærere nostram perniciem, probat ipsorum summum, quo erga vniuersum mortalium genus flagrant, odium. Nec hinc desunt exempla. Quot ferè sagæ sunt atque Malefici, tot pro huius rei confirmatione exempla suppetunt. Infestantur plerique Spectris, quia plerique se Dæmonibus deuouent.

Est & horrendum huius rei exemplum apud Surium Tomo 4.

in vita S. Bernardi, in muliere, quæ fœdam aliquot.

annis cum Dæmone consuetudinem habuit,

quod quia capite 92. referemus,

hic ascribere necesse

non est.

CAP.